





23

EXERCITATIO
THEOLOGICO - EXEGETICA
DE
**PRECATIONE
CHRISTI**
PRO AVERTENDO CALICE
Ad Matth. XXVI. v. 39.

QVAM
PRAESIDE
VIRO MAXVME REVERENDO, AMPLISSIMO, DOCTISSIMO
SIGISMVNDI IAC. BAYMGARTEN,
S. S. THEOL. PROF. P. ORDIN.
PATRONO, PRAECEPTORE AC HOSPITE
FILIALI OBSERVANTIA AETATEM COLENDO,
IN ACADEMIA FRIDERICIANA
EX MANDATO REGIO
AD D. XVII. SEPTEMBR. A. O. R. MDCCXXXV.
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI EXPONET
A V T O R
CHRISTIANVS HENRICVS NEHRING,
MORLENSIS MAGDEBVRGICVS
S. S. TH. CVLTOR.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
TYPIS IO. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR. 1744.

EXERCITATIO
THEOLOGICO-EXEGETICA
DE
PRECATIÖNE
CHRISTI
PRO AVERTENDO CALICE

ANNO MDCCXXI

PRÆSIDE

SIGISMUNDO JACOBO BAVINGARTEN

IN ACADEMIA FRIDERICIANA

EX MANDATO REGIO

CHRISTIANVS FRIDERICVS NEHRING

HABER MADEBVRGENSE
CHRISTIANI HENDLII, ACAD. THEOLOG. 1721



§. I.



Siquid unquam meditati dignum est, hominisque christiani maximi refert crebro & deuote meminisse, id certe calamitatum, dolorum, & mortis Christi perpeffio iure suo esse videtur. Necessitatem eius animaduertens veneranda antiquitas, non solum diem emortualem, quem *παρασκευασμῶν* vocauit, verum integram eius hebdomadem, immo totos quadraginta dies, qui *παρασκευασμῶν* præcedunt, solenniter & pie celebravit; sicuti etiam tota illa hebdomade magni cubasse christianos, se ipsos adfixisse, non nisi aridos cibos comedisse, preces, vigiliis & ieiunia frequentasse, refert ex Epiphania hæres. 75. HILDEBRANDVS Lib. de diebus festis p. m. 43. Ioan. Steph. DURANTVS de ritibus Eccles. earb. lib. 3. c. X. n. 2. p. m. 773. Ioseph. BINGHAMVS in origin. ecclesiast. lib. XX. cap. V. §. I. & imprimis lib. XXI. c. I. §. 31. Neque etiam sine causa hebdomas illa a patribus concilii Laodiceni can. 46. hebdomas passionis appellatur, quippe olim singulis huius septimanæ diebus historia passionis Christi publice prælegi & exponi solitum erat; cuius prælectionis publicæ CHRYSOSTOMVS homil. 88. in Martb. hanc

reddit rationem: *Ne ethnici dicant: vos Christiani præclara Christi facta & miracula prædicare nostis, sed opprobria eius & mortem vericetis, ecclesia circa diem paschæ hæc omnia publice legere iussit.* Ex his itaque liquido constat, nil prius, nilque antiquius sibi duxisse veteres Christianos, quam ipsius Christi, eiusque crucis ac perpeffionum conferuare memoriam. Quod tamen non eo pertinet, vt ad hæc solum tempora restringatur grata huius rei memoria, a quo solemnitate illius abusu penitus abhorruerunt primi christiani, per Apostolum edocti, Iesum Christum cruci affixum & in vitam restitutum semper pia memoria colendum esse. I Cor. II, 2. Gal. VI, 14. 2 Tim. II, 8. Quare nec nobis vitio vertendum erit, quod hanc celebrationem perpeffionum Christi hac nostra opera promoturi, grauissimas præces eiusdem in horto Gethsemane susas Matth. XXVI, 39. Marc. XIV, 36. Luc. XXII, 42. commemoratas explicatione qualicunque illustrandas sumimus, quibus non solum ad malam crucem, crudelissimum teterrimumque supplicium, de quo SAGITTARIUS *libr. de martyrum cruciatibus* p. m. 134. & IUST. LIPSIVS *peculiari tractatu de cruce* vberius egerunt, verum ad omnem reliquarum vexationum multitudinem respexit adfissimus Iesus. Ipsa verba supplicationis ita in Matthæo, vnde ea iam desumemus, concepta leguntur: Πατερ µε, ει δυνατον εσι, παρελθετω απ εµα το ποτηριον τατο. Πλην οχι ως εγω θελω, αλλ ως συ, h. e. PATER MI, SI POSSIBILE EST, TRANSEAT A ME CALIX ISTE, *verum non sicut ego volo, sed sicut tu vis.*

§. II. Antequam vero ad ipsam dicti explicationem progrediamur, circa connexionem aliqua monenda videntur. Postquam nempe sanctissimus SERVATOR cum XII. apostolis suis cenauerat, atque sacram instituerat synaxin: oliueti

oliueti adiit montem, ab Hierosolymis σαββατς οδον distan-
tem Act. I, 12. venitque in villam Gethsemanes, Matth. XXVI,
36. Hoc nomen græce legitur γεθσημανη; de cuius origine
atque significatione variæ sunt, eæque discrepantes eruditiss-
simorum hominum sententiæ, quas hic enumerare omnes,
superuacaneum esset, nec paginarum angustia permitterent.
Clariss. BYNÆVS Lib. II. *de morte I. C. c. II. p. 76. seq.* cum Io-
anne Gerbaro illud ex hebr. גֶּתְשֶׁמַן, & יָשֶׁן, oleum, deri-
uandum statuit, vtque hoc græcæ pariter, ac latinæ pronun-
tiationi eo conformius sit, ex DRVSIO animadu. lib. II. c. 43.
obseruat, τὸ γῆ, vti hodie scribitur, lectum antiquitatis græ-
cæ & latine fuisse *Gerb*, non minus ac גֶּתְשֶׁמַן *Eua*; מְלֶחֶסֶדֶן
melchiseden; עֵמֶן, εμμαν &c. quod Ven. RVSSIVS addit in
harm. euang. rom. III. vol. II. p. 886. Quod eo convenien-
tius esse videtur, quo propius Esaia prophetæ, quæ de
venturo Messia prædicauit cap. LXIII. 3. verbis respondeat.
Nec etymon circumstantiis loci repugnat; in monte enim
oliuarum cum magna esset arborum oliuiferarum copia, ve-
rosimile omnino est, in villa seu prædio isto, quod olearum
monti proximum erat, oleum ex oliuis in monte accubuo
confitis, fuisse torcularibus expressum, vnde quoque villa
ipsa suum duxisse nomen videtur. Hortum huic prædio
adscribit Ioannes cap. XVIII, 1. quem ingressi sunt Iesus & di-
scipuli eius. Nempe propter foetorem summum, qui a
stercorando oriebatur, hortos olim extra vrbis Hierosolymæ
moenia, præsertim vero ad oliueti radices, fuisse constitutos
rosarum tamen hortis quibusdam exceptis, memoriæ tradi-
tum est a Iudæorum magistris, obseruante Io. LIGHTFOOT
cent. chorogr. Mart. præm. tom. II. opp. p. 186. Nec abs-
que ratione addit Ioannes v. 2. fuisse ipsi etiam Iudæ, prodito-
ri, locum, quem Iesus solitudinem quærens aliquando fre-

A 3.

quen-

quentavit, perquam notum; quod nos dubitare non finit, quin Christus, qui probe hoc nouerat, constanti admodum ac forti animo, citatis veluti gressibus, passioni mox secururæ ierit obuiam. Ad propositum ergo suum exsequendum, vt Matthæus refert, discipulos considerare iussit, seq ue contulit in locum remotiorem, ibi precaturus. *Sedete hic*, aiebat, *donec fuero precatus*. Plane vt Abrahamus, cum immolare ex diuino iussu apud animum constituisset Isaacum filium, seruis dixerat: *Sedete vos hic cum asino, & ego & puer ibimus vsque illud, & adorabimus, & reuersemur ad vos*. Gen. XXII, 5.

§. III. Adloquitur vero Christus speciatim octo e discipulis suis, quorum forte fidei robur nondum adeo excreuerat, vt eius in puluere, luctuque iacentis lacrymabilem adspexit, sine offensuscula æquo animo contueri possent. Assumit vero comites Petrum, duosque filios Zebedæi, Iacobum atque Ioannem, testes passionum suarum certissimos, v. 37. coll. Marc. XIV, 33. Petrum, inquam, qui in schola Christi iam adoleuerat, quum inter primos ad munus Apostolicum a Seruatore fuerit vocatus. Ioh. I. Nunc ergo periclitandum ipsi erat, quid humeri sui valeant, quidue ferre recusent. Dixerat enim temere licet suæque infirmitati nihilum tribuens: *Domine, paratus sum tecum & in carcerem, & in mortem ire. Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego tamen nunquam scandalum patiar*, v. 33. coll. Luc. XXII, 33. Marc. XIV, 29. Hinc se peculiari ratione vocat *πετρὸν τῶν ἑξῆς πειραστῶν*. i Petr. V, 1. Hunc excipiunt Ioannes & Iacobus, qui heic loci studiose vocantur *fili Zebedæi*. Respicitur enim ad Matth. XX, 22. vbi iidem, cum a Christo interrogarentur: *potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* prompti paratique erant ad respondendum: *possimus*.

mus. Præterea inficiendum non est, hosce tres, quos recensimus modo, Christi discipulos, præ cæteris omnibus fuisse alias quoque arcanorum ipsius spectatores. Sic aderant non solum resuscitationi filiolæ Iairi *Ἀρχισυναγωγῆς*, Luc. VIII, 51. sed ipsi quoque transfigurationi Christi in monte Taboritico factæ, Matth. XVII, 1. procul dubio in hunc finem, ut sicuti hic gloriam ipsius diuinam conspicati fuerant, ita etiam nunc humanarum eius passionum essent testes luculenti. Namque mox deinde *ἤξατο λυπεῖσθαι καὶ ἀδημονεῖν*, iuxta Matthæum; vel etiam *ἐδάμνθεισθαι καὶ ἀδημονεῖν*, uti apud Marcum legitur, c. XIV, 33. Sine dubio attoniti erant discipuli, hæc videntes, quippe tale quid adhuc nondum obseruauerant. Summum enim tristitiæ gradum, quam sanctissima Christi persensit anima, passiva verbi *λυπεῖσθαι* acceptio innuit. Eadem fere ratione Dauides, qui mortem Absolomi, filii sui licet ingratisissimi, grauiter lugebat, apud LXX. Interpretes, dicitur *λυπεῖσθαι* 2 Sam. XIX, 2. Etsi autem hæc vox, quæ generalis est, atque omnes doloris species complectitur, satis iam indicare poterat animi moerorem: nihilominus tamen maioris emphaseos causa substituit Marcus suum *ἐδάμνθεισθαι*, c. XIV, 33. quod, si compositionem eius attendamus, significat *animo & corpore perborrescere, artonito stupore percelli, sicuti in subita consternatione, aut febrium accessu fieri solet*, monente LEIGHIO *in crit. sacr.* N. T. p. 94. ed. Amstel. conf. Marc. XVI, 5. 6. c. IX, 15. Act. III, 11. Ratio huius *ἐδάμνθεισθαι* fuit mors imminens, temporaria sane illa, sed cum fulmine iræ, maledictionisque diuinæ, & poenarum infernalium intime coniuncta. Denique *το ἀδημονεῖν*, quod commune habent Marcus & Matthæus, altius adhuc adfurgit, diciturque de eo, qui tanta animi tristitia adficitur, *ut animus pane concidat, sitque omnis fere consilii expers.* Vid.

STOCKIVS *in clau. ling. sanct.* N. T. p. 63. seq. Ven. RVSSIVS
barm. Euang. rom. III. vol. II. p. 888. seq.

§. IV. Huius itaque tristitiæ cum tanta vis esset, non potuit non Christus, quin eam tribus discipulis, Petro, Iacobo atque Ioanni, quos comites sibi elegerat, faceret notam & contestatam. Tunc enim dixit illis: *undiquaque tristis est anima mea usque ad mortem.* Vox περιλυτ^ω, uti composita est ex περι *circum*, & λυτ^ω *tristis*, ita hominem undiquaque tristitia circumseptum veluti, & circumuallatum, denotare videtur, conf. Marc. VI, 26. Luc. XVIII, 23. seq. Gen. IV, 5. 6. FELBINGERVS *in versione sua germ.* reddidit: *umb und umb betrübt*, qua ratione emphasi huius vocis optime satisfit. Significationem utpote sæpe auget præpositio περι, sicuti in aliis quoque verbis, ut περιαιδής, *perpulcer*, περιθαμβής, *perimidus*, fieri solet. Ergo Christus se non simpliciter, sed in eminentiori aliquo gradu tristem pronunciat. conf. Ion. IV, 9. Verum haut otiose, sed ad augendam magis amplificandamque Christi tristitiam adponitur: *εως θανάτου, usque ad mortem*, h. e. animi dolores, coniuncti cum acerbissimo iræ diuinæ sensu, adeo expleti & accumulati erant, ut patienti Christo ipsam mortem adsciscere potuerint. Legimus quippe hanc phrasin tali acceptam sensu Ec. XXXVIII, 1. *ægretoabat Ezechias VSQVE AD MORTEM, non quidem, quod mortuus fuerit sed moriturus fuisset, nisi DEVS sua ope interuenisset*, uti rectissime scribit Ven. D. MICHAELIS, parens atque præceptor pie suspiciendus, *in adnotationibus ad b. l.* Ioannes in super c. XII, 27. verba Seruatoris περιλυτ^ω in hunc modum refert: *Ψυχη μου τεταραχεται, anima mea conurbata est*, ut adeo constet, S. Euangeliographos eloqui vix posse exquisitissimos dolores, quos Seruator optimus nostri causa tum in horto, qua corpus quaque animam sustinuit. Hinc & Lu-

cas c. XXII, 44. testatur, constitutum fuisse ipsum εν αγωνια, de qua vid. BVDDIUS *Institut. Theol. Dogm.* Lib. IV. c. II. p. 784. pluresque alii, quos adducit Celeberrimus Hamburgensium Philologus Io. Christoph. WOLFIUS *Cur. Philolog. & Crit.* Vol. I. p. m. 758.

§. V. Postquam igitur in superioribus explicauimus, quæ Christi orationem præcedant: deuenitur nunc ad ipsum disquisitionis momentum, nempe *precaionem pro auertendo calice* v. 39. Probe nouerat Iesus sanctissimi vatis effatum: επικαλεσαι με εν ημεραι θλιψεως, και εξελθου με. *Inuoca me in die angustia, & eruam te.* Pl. L, 15. Ideoque nunc, cum afflictiones eius essent maximæ, ad preces confugit, non semel easdem, sed iterum ac tertium fundens. coll. v. 42. 44. Adducuntur ab Euangelistis circumstantiæ quædam externæ, quæ heic quidem loci *actus preparatorii* vocari possunt; inter quos omnium primus est *abitus* Christi in locum a discipulis suis paullo remotum. Matthæus & Marcus exprimunt: & *progressus paululum*; cui Lucas addit: ωσει λιθου βολην, *ad iactum plane lapidis*, c. XXII, 41. h. e. quantum quis lapide proiicere potest, vt audiretur a discipulis, quos confcios harum precum esse volebat. Fixus equidem & solemnus precum locus apud veteres Ebræos erat templum Hierosolymitanum, quod vel ex consecratione eius a Rege SALOMONE, admirandæ illius structuræ fundatore magnificentissimo, facta quam clarissime patet. 1 Reg. IIX, 22. seqq. Atque hinc est, quod in sacris litteris Templum a Precibus, tanquam potiori Sacrorum parte, denominetur DOMVS PRECVM. Eccl. LVI, 7. coll. Matth. XXI, 13. Marc. XI, 17. Luc. XIX, 46. Nec tamen putandum, preces semper certis & publicis adstrictas fuisse locis, sed alibi quoque peragi poterant. Ita primi parentes nostri, eiekti post lapsum e Paradiso,

radiso, sub *quercibus* aliisque ramis vel frondosis arboribus in ædium defectu confedisse, & priuatas ibidem preces egisse videntur. Conf. HILDEBRANDVS *de Precibus Vet. c.1. §. 1.* Simili ratione veteres Christiani, cum templis adhuc primis fere tribus post N. C. seculis essent destituti, preces in cypis, cellulis, atque montium cauernis, inque syluis & specubus subterraneis, aliisque locis ab hominum conspectu remotis, habuisse, ex antiquitate ecclesiastica probat idem HILDEBRANDVS *Libr. cit. c.1. §. XI. DVREANTVS de Ritibus Eccles. Carol. Lib. III. p. m. 836* EYDEVS *de Sanctitate locorum V. & N. T. p. m. 57* seqq. SPANHEMIVS *Intrad. ad Hist. Eccl. N. T. p. m. 74.* Christus vero precaturus haut inconsulto, se discipulorum oculis subducens, locum solitarium quærit, suo nos docens exemplo, solitudinem fundendis precibus valde aptam esse & adcommodatam. Huc nimirum refertur *cubiculum clausum*, quod Seruator, Pharisæicas preces in angiportis vel ad angulos platearum factas reprehendens, præ ceteris commendat. Matth. VI, 5. seq.

§. VI. Deinde etiam obseruasse in Christo iuuabit singularem corporis situm; *προσευχόμενος* enim *procidit in faciem suam*, seu uti Marcus habet, *επεσεν ἐπὶ τῆς γῆς*, *procidit in terram.* Ebræorum namque magistri memoriæ prodiderunt, veteres iudæos passim *stantium gestu* fuisse precatos, quod ipsorum sic exigebat consuetudo. Præclaro hac in re testimonio est, quod de hypocritis suo tempore dicit Iesus: *amant in synogis & in angulis platearum esores προσευχόμενοι.* Matth. VI, 5. Testatur id quoque MAIMONIDES, aiens: *Nemo oret nisi stans. In naui si quis versetur, vel in curru, ster is quoque, si fieri vlla ratione possit. In Hilcor Teppilla c. V. §. 2. Miscbn. in Taanirb. c. II. §. 2.* Huius porro consuetudinis fidem suo clare demonstrant exemplo dauuiri

uiri isti, Publicanus scilicet & Phariseus, *stantium genu* in templo precentes, Luc. XVIII, 23. quos, si precatos statuas in atrio, loci etiam religio sedere vetuit. Nemini enim nisi solis regibus, ex DAVIDIS stirpe oriundis, sedere ibi licuisse, loquuntur Ebraeorum doctores. Conf. LIGHTFOOTVS *de Ministr. Templ. Hieros.* Opp. Tom. I. p. 725 & 608. Similiter inter orandum *genusflexionis* ritus apud veteres celebris admodum fuit, uti ex ipsius Christi, preces fundentis, exemplo conspicitur. Lucas enim: *Θεις τα γονατα προσνυχετο.* c. XXII, 41. DANIEL ter quotidie *prouolurus in genua* apertis in coenaculo fenestris Hierosolymam versus orabat suaque confitebatur peccata. Dan. VI, 10. Spectat huc etiam illusoria illa *genuum inflexio*, cum praetoriani milites, imposita Christo e spinis corona, coram ipso genua incuruarent, hoc addito scommate: SALVE, REX IVDÆORVM! Matth. XXVII, 29. quod cum in die Parasceues contigerit, veteribus Christianis sufficiens visum fuit, ut eo die ab omni genuum incuruatione abstinerent. Conf. HILDEBRANDVS *in Ritual. Orant.* p. 107.

§. VII. Extremæ autem humilitatis signum erat *humicubatio*, quam adorationi coniunctam, itidem in Christo conspicuam videmus, iuxta Matthæi & Marci narrationem. Is enim flexis prius genibus se humi in faciem prosternebat, sicuti veteres quoque in ieiuniis & aliis luctuosis temporibus facere solebant, cinerem capiti inspergentes. Thren. II, 10. 2 Sam. XIII, 19. coll. Iob. II, 12. Ita de Niniuitarum Rege ipso relatum legimus, quod reconciliandi Numinis offensi ergo *panitens*, abiecta de humeris regia veste, *sacco se*, & *cinere* obuoluerit. Ion. III, 6. Daniel de se ipso: *Posui faciem meam ad Dominum Deum rogare, & deprecari in ieiunio, sacco & cinere.* Dan. IX, 3. Conf. DALLÆVS *de Ieiuniis*

niis & Quadrag. p. m. 157. edit. Dauentr. A Iudæis ritum humicubandi inter preces, dein ad primos vsque peruenisse Christianos, instituta illorum plurima imitatos, sacrarum antiquitatum Scriptores etiam tradunt. Sic de THEONOSIO M. Imperatore commemorat *Theodoretus*, quod, cum primum ob cædem Thessalonicensium inconsulto zelo commissam resipuisset, templum ingressus *non stans vel genibus flexis orauerit, sed humi prostratus* Dauidicam vocem emisit: *Pauiamento adbasit anima mea. Viuifica me, Domine.* Lib. IV. *Hist. Eccl. c. 17.* conf. *Ios. BINGHAMI Orig. Eccles. Lib. XIII. c. VIII. tot. inprimis §. VI. & lib. XVIII. c. I. §. V.* Quin immo cognitos sibi quosdam s. AMBROSIVS scribit, qui ad meliorem redeuntés frugem strauerint corpus suum conculcandum omnibus. Lib. I. *de Penit. cap. 16.* Ex quo videre est, voluisse istos, dum humicubantes a Deo atque Ecclesia delicti veniam efflagitabant, eo ritu supplices sese fidelium pedibus, veluti indignissimos mortalium, substernere calcandos; quæ submissio, licet magni omnino æstimanda sit, multo tamen inferior est humiliatione CHRISTI, per humicubationem expressa: quoniam illi ob propria ipsorum peccata lugebant tantum; Christum vero vniuersi generis humani mala, miseræ omnes ac ærumnæ adeo deprimebant, vt queribunda voce, fracto & humili animo, Deum supplicaret: *Abba, pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste; veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat,* coll. Marc. XIV, 36. & Luc. XXII, 42.

§. VIII. Hæc autem verba memoratu eo digniora sunt, quo magis profunditatem afflictionum Christi, eiusque in perferendis hominum calamitatibus tranquillitatem indicare videntur. Prius tamen obseruanda venit amabilis Dei appellatio. *Et dixit, ait Marcus, Αββα, ο πατερ,* vbi posterius partim

partim interpretationis, partim vero maioris fiducia causa additum esse, docte sentit *Erasmus* SCHMIDIVS ad h.l. quoniam Christus non quidem in lingua diuersa, sed eadem potius repetiisse videtur vocem, vti factum saepiuscule in integris eius concionibus, & his ipsis precibus penes Matthæum & Lucam, Chaldaico quidem idiomate fufis, sed græco recitatis. Vox autem אבא blandientis est, ac liberorum, qui fidenter patrem adloquuntur, hinc quoties in chaldaica lingua occurrit, semper *naturalem patrem* significat. conf. LIGHTFOOTVS in *Hor. Talmud. ad Marc. XIV, 36.* Aug. PFEIFFERVS in *Dub. Vexar. Parz. alt. de Vocab. exot. N. T.* p. m. 35. Theod. DASSOVIVS de *Empbasi Sacr. Voc.* p. m. 56. Similis plane erat adlocutio Isaaci ab Abrahamo patre suo mox immolandi. Gen. XXII, 7. vbi, sicuti & in aliis Scripturæ locis, vbiunque fit mentio de patre naturali, *Targumista* adhibere solent vocem אבא. vide in hanc rem Gen. XXVII, 34. c. XLVIII, 18. Ec. VIII, 4 alibique frequentissime. Christus ergo hoc in loco, vtiunque circumseptus vndique angoribus & providentia admodum nubila, tamen Deum agnoscit, inuocat, inuenit אבא *patrem suum*, sensu suauissimo.

§. IX. Hac ergo fiducia, quam in DEO reposuerat Christus, ipsa eius precatio innitebatur, quam ita proponit: OMNIA POSSIBILIA TIBI SVNT, sec. Marcum. SI igitur POSSIBILE EST, vel SI VIS, TRANSEAT HIC CALIX A ME, iuxta Matth. & Luc. Initio statim offert sese nobis de *calice*, quem Christus transire volebat, illustri typus apprimeque elegans e cultu Lenitico, qui, si circumstantiarum quarundam ratio habeatur, ad Christum eiusque præsentissimum statum optime quadrat. Pertinet nempe huc *agnus quotidianus*, qui in iuge sacrificium matutino tempore pro Israelitarum peccatis immolabatur, ceu videre est

Exod. XXIX, 38. coll. Num. XXVII, 3. Huic prius, quam mactaretur, bibendum præbebatur e *calice aureo*, aqua pleno. Iste *calix* agno porrectus ad faces ardentes ante auroræ ortum, ad faces nempe, quibus præfectus templi circumibat, sacerdotum excubias obseruans. Hoc docetur in Codice דמין cap. III. §. 4. *adaquarunt pecudem, ut ope aquæ facilius esset excoriatio, & quidem ex poculo aureo*, magnificentiæ ergo, ut Maimonides ad h. l. notauit, quia in loco diuitiarum non debet esse locus paupertati. Conf. Maimonides in *Hilchoth Tmidin* c. I. §. 9. Vid. DEYLINGIUS in *Obseru. Sacr. Part. III.* p. m. 256. RELANDVS in *Antiqu. Ebr.* p. 180. & Doctiff. SCHLICHTERVS in *Obs. Sacr.* p. 210. Iudæi, qua sunt mentis cæcitate, licet agni istius significationem profunde ignorent: in CHRISTO tamen, innocentissimo DEI agno, (Ioh. I, 29.) vero sacrificio piaculari, egregium illius antitypum venerabundi conspiciamus. Huic enim in horto Gethsemanes *calix crucis & amaritudinum* tradebatur paullo ante, quam Iudas proditor, armatorum stipatus multitudine, μετα φανων και λαμπαδων, ipsum capturus, accederet, Ioh. XIII, 3. Poculum hoc letale Christo erat, utpote mortem ipsi causaturum; Sicuti & agno typico indicium fuit mactationis suæ certissimum.

§. X. *Calix* præterea in sanctioribus litteris tam in bonam, quam etiam malam partem accipitur, poniturque per metonymiam *continens* pro *contento*, ita, ut per eum metaphorice & bonorum & malorum determinata portio indigetur. In priori significatione occurrit I Cor. X, 16. ubi mentio fit *poculi benedictionis*, quod Christus in vltima cæna cum benedictione s. gratiarum actione bibit, atque mortis suæ celebrationem fidelibus commendauit, utpote quod ceu *signum exhibitivum* gratiam Dei, quam significat, simul vrentibus
effica-

efficaciter confert. Symbolum ergo est *omnisufficientia* ac *meritorum* Mediatoris nostri largiffimorum. Haut negauerim tamen, phrasi hac respectum haberi ad poculum in festo paschali a Iudæis adhibitum, quod ab illis כוס הברכה *poculum benedictionis* itidem appellatum fuisse, post alios monuit *Io. LIGHTFOOTVS* *Opp. Tom. II. p. 905.* & *Adrian. RELANDVS* in *Antiqu. Ebr.* p. 417. Ex qua adpellatione de in procul dubio factum esse, vt S. cœna εὐχαριστίας nomine a veteribus vocaretur, erudite sentit celeberrimus *WOLFIVS* in *Cur. Philol. Volum. II. p. m. 457.* Huc pertinet locus egregius *Pf. CXVI, 13. Calicem saturum eleuabo.* Vbi *Psaltes* vel adludit ad *calicem* paschalem, qui *μνημοσυρον* erat liberationis ex Ægypto salutisque a Deo præstitæ, teste *CAPELLO* in *diarr. delit. Hebr.* p. 213. vtpote poculum quartum *poculum salutis* vocare solebant, mōnente *DASSOVIO* in *diff. ad tit. Celim. §. 20.* Vel ad *calicem*, qui plerumque comitabatur sacrificia *eucharistica.* Ex carnibus enim sacrificiorum τῶν *עליו* conuiuia adornabant Iudæi, quamdiu in deserto Arabiæ vagabantur, (coll. *Pf. LXXVIII, 19. 20.*): adhibebant pocula vini lautissimi, quæ cum celebratione Dei ebibebant. Vid. *ABARBANEL* in *תורתו* f. 238. sq. *AMELIVS* s. *P. ZORNIVS* in *V. T. Tom. I. p. 696.* Immo in conuiujs omnibus calice eucharistico utebantur. Hinc recte *Const. L'EMPEREUR* in *Middorb. cap. II, 6. Calix, cuius Psaltes meminuit, erat Calix gratiarum actionis, vsuatisissimus apud Iudæos, siquidem moris fuit inter eos, vt in quotidianis etiam mensis benedicentes biberent, quanto magis ubi eucharisticis sacrificijs vescerentur.* Vid. *EWALDVS* in *Emblem. Sacr. V. & N. T. Part. II. p. 7.* Vel denique alludit ad morem gentium, quæ *poculum gratularionis, libertatis & grati animi signum,* post exantlata pericula, adhibebant. Quod & Iudæis in vsu fuisse,

se, docet ex nummis Simeonis, in quibus poculum cernitur cum inscriptione Samaritana: *Propter memoriam liberationis Zionis*, Cl. RELAND. in *diff. I. de num. Samar.* p. 38. & *diff. IV.* p. 133. Spectat huc etiam *calix consolatorum*, Ierem. XVI, 7. *neque bibendum dabunt ipsis ex poculo consolatorum.* Quod impletum vino, lugentibus in conuiujs tradebatur funebribus, vt meroris luctusque inde nonnihil obliuiscerentur. Ita legimus in *Bevach. Hierof.* fol. 6. *Decem POCVLA dibunt in domo funesta; duo ante epulas funebres, quinque inter epulas, & denique tria illis iam finitis. Horum tertium autem vnum destinatum est gratis agendis, alterum humanitatis officio, tertium denique CONSOLATIONI lugentium.* Quem morem etiam apud Romanos aliasque gentes obtinuisse, docet Doctiss. SPENCERVS *de Leg. Hebr.* Lib. IV. cap. 9. p. 1150. edit. Tubing. Quocum coniungi vtique debet *panis hominum*, Ezech. XXIV, 17. 22. seu, vti *Targum* interpretatur, *panis lugentium*, qui iisdem mittebatur a vicinis, ad consolandum eos super morte propinqui. conf. MARQUARTI *Schediasma Philolog. de varijs cæna funebr. appellat.* §. I. Præ reliquis tamen fere eminet *calix lætitiæ*, quem sancti bibere dicuntur, ab afflictionibus liberati. De hoc DAVID loquitur Ps. XXIII, 5. *calix meus exuberans.* Denotat namque gratiam Dei, quæ ipsi de omnibus, non tam ad vitæ naturalis, quam spiritualis quidem conseruationem necessariis, sufficientissime præspiciebat. conf. Io. MARCKII *Sylog. Dissertat. Philologico-Theol. ad sel. loc. V. T. Exercit. XXI.* p. m. 702. In posteriore demum significato *calix* innuit calamitatum omnium congeriem, vocaturque sæpe in S. Scriptura *calix tribulationis*, angustiae, crucis & passionis, Christo piisque omnibus, & impiis quoque communis; piis, inquam, ad tentandam & corroborandam ipsorum fidem; impiis vero ad

ad exitium. Atque de his dicitur, quod feces calicis iræ ac furoris Domini ebibere debeant. Pf. LXXV, 9. Ef. LI, 17. Zach. XII, 2. Hoc etiam sensu sumitur in diuina Ioannis Apocalypsi, c. XIV, 10. *Et bibet de vino iræ Dei, quod sine mixtura infusum est in poculum iræ ipsius.* Iterum: *Et Babylon magna venit in memoriam coram DEO, ad dandum illi poculum excalescencie iræ suæ.* c. XVI, 19. Huc respiciunt septem *phiala excalescencie Dei in terram effundendæ*, c. XVI, 1. scilicet *repleta plagis vltimis* c. XXI, 9. Quod emblemata profanis quodque scriptoribus ignotum haut esse, ex *Plauto & Aristophane* docuit Doctiss. WERNER in *diff. de poculo benedict.* p. 9. & Iudæis כוסות *pocula* plagas designare, ex Gemaristis apud WAGENS. demonstrat Cel. LAMPIVS in Ioh. Tom. III. p. 514. not. (n). Quæ vero omnia, si clarius introspiciantur, magnam dolorum exitiique profunditatem, in quod præcipitandi erant impii, omnino innuunt.

§. XL Facile ergo nunc intelligitur, cur passio Christi comparetur cum calice? nempe ad significandam crucis seu perpeffionum tam *multitudinem* quam *profunditatem*, qua adstingendus erat; quæ locutiones desumptæ videntur partim a multitudine guttarum, quas calix comprehendit, forte plurium, quam concaua manu teneri possunt; partim quoque ab Ebræorum loquendi consuetudine, cum res profundas e. g. *fossas* vocare solerent כוסות *calices*, iuxta Lexicon ARVCH fol. 79. col. 3. Exinde vero flueret determinata passionum Christi portio; quemadmodum etiam calix determinatam guttularum multitudinem includit, h. e. nec plures nec pauciores capere potest. Ita calices Iudæorum paschales certam mensuram habebant, vnde RASCHI ad *Be-rach. fol. 51.* *Erat omne vinum, quod continebatur vase maiori, cuius quisque tantum bibeat, quantum satis eræt pro MEN-*

C

SVRA

SVRA POCVLI BENEDICTIONIS. Idem adfirmat de Græcorum Romanorumque poculis STYCKIVS *antiqu. conuiu.* p. 360. seq. Sicuti & calix pro certa *portione* sumitur, inque eum finem Hebr. כוס & חלק coniunguntur, e. c. Pl. XVI, 5. מנה חלקי ובוסי Iehoua *portio partis & calicis mei*, & Pl. XI, 6. & *præcella uehemens erit כנרס כוס portio calicis eorum.* conf. Ven. D. MICHAELIS in *Notis* ad hæc loca. Deinde, phrasis a calice petita passiones designans non prophetis solum vsitata est, uti §. præc. vidimus; sed ipsi etiam Christo coll. Math. XX, 22. ubi adsignatam sibi crucis portionem itidem vocat ποτηριον, seque martyrii & sanguinis baptismate baptizatum iri prædicit; siquidem το βαπτίζω non *mergere* solum significat, sed pro *adstingere* quoque vsurpatur, quia qui adstinguntur, calamitatum quasi gurgite merguntur & absorbentur, uti ex profanis scriptoribus tuetur hanc significationem laudatus WOLFIVS in *Cur. Phil.* ad h. l. Si itaque noster præsentis tractationis locus cum hoc, ceterisque Prophetarum dictis §. X. allegatis rite comparetur, simulque autem Christus tanquam victima piacularis pro instauranda hominum salute oblata, consideretur: utique manifestum erit, quod per *calicem* non solum tremenda Numinis ira, crudelissimumque, quo extinguendus fuit, mortis genus; quin omnes etiam corporis atque animæ nostræ pænæ, temporariæ ac æternæ, quas ipse nostri loco pertulit, intelligantur. Ef. LIII, 6.

§. XII. Rebus igitur sic comparatis, accedente tenerimo humanæ naturæ sensu, non potuit non Christus, quin passionum suarum, quarum vis maxima erat, aliqualem tantum mitigationem, sub conditione tamen, a Patre sibi quam submississime expeteret, dicendo: OMNIA POSSIBILIA TIBI SVNT. Si igitur POSSIBILE est, vel SI VIS, TRANS.

TRANSEAT HIC CALIX A ME. Ergo Christus infinitam Deo potentiam attribuit, seu facultatem dandi omnibus possibilibus existentiam. conf. Pl. CXV, 3. Luc. I, 37. Id vero *τὸ possibile* notione venit, quod nullam inuoluit contradictionem. Consequenter non extendit Christus omnipotentiam DEI ad contradictoria, sed limitat eandem. Impossibile autem, seu contradictorium omnino fuisse, si Deus hominibus lapsis, alio, quam per Christum factum est, modo, perditam salutem restituisset; quoniam is suis obtinendis finibus media aptissima semper adhibet (per princ. Theol. Nat.) Ergo Christus necessario pro genere humano mortis supplicium atque coniunctas cum ipso calamitates subire debuit; quia contrarium erat impossibile. Per consequens omnipotentiam DEI ad plenariam passionum suarum amolitionem restringere non poterat; nisi nouum aliquem saluandi homines modum ipsi impudenter præscribere, Deumque, ac si contradictoria vellet, incusare & eius de se æternum decretum immutare voluerit. Quod autem dictu blasphemum. Ergo alia adhuc superest hoc explicandi dictum ratio, si per *calicis auersionem* intelligamus dolorum omnium, qua animam quaque corpus, *mitigationem*, quæ fieri optime poterat, si calamitates ipsæ, quas perpeti Christus nostri causa debebat, mox transirent, ita, vt breui ab iis plane liberaretur. Hac utpote apud veteres significatione occurrit *παρερχεσθαι*: quemadmodum testatur HOMERVS, poetarum facile princeps, Odyss. M. v. 62.

Τῆ μὲν τ' ἔδε ποτῆτα παρερχεται, ἔδε πελειαι.

Hac neque volatilia præteruolant, neque columbae.

Hinc sententiæ nostræ adstipulatur ex nostratibus Io. GERHARDVS in *Harm. Euang.* *παρερχεσθαι*, inquit, *non solum est præter-*

prætergredi & præterire, sed etiam plane abire. Qua de re videantur loca Matth. V, 18. cap. XIV, 15. & XXIV, 35. ubi eandem huius verbi significationem reperies. Nec alienum prorsus ab hoc est το παρνευμεν a Marco & Luca adhibitum, quod *auferre vel e medio tollere* audit; quo etiam significatu legitur apud HERODIANVM Libr. VIII. cap. IV. commat. II. p. 343. επεισηδησαντες αμα τοις ιπποις διανηξεδαι ειδισμενοις, παρενεχθεντες απωλοντο, quæ dignus tanto scriptore interpres *Angelus* POLITIANVS ita vertit: Ausi se & equos natandi peritos alueo credere, vi fluminis ablati perierunt. Adi quoque, si placet, *Henr. STEPHANI Thes. Gr. Ling.* Tom. IV. p. III. a. qui præclara in rem nostram testimonia ex scriptoribus græcis diligenter adducit. Hinc Christi verba sic explanari possunt: SI POSSIBILE EST, h. e. *si tua voluntari conforme, generique humano redimendo proficuum est*, TRANSEAT HIC CALIX A ME, h. e. *fac, ut calamitatibus s. passionibus meis, quas sentio iam & durius adhuc sensurus sum, mox finis imponatur, eaque cito transeant.* Id autem possibile DEO fuisse, nec generi humano noxium, constat ex Ebr. V, 7. ubi diuinus scriptor ita loquitur: *preces supplicationesque ad eum, qui poterat ipsum seruare a morte, cum clamore valido & lacrymis offerens*, EXAUDITVS EST. Si vero exauditus est Christus, utique adprobavit eaque contulit ipsi DEVS, sine tamen hominum damno, quæ precatus est. Ergo non potuit modo, sed voluit quoque DEVS mox eripere eum e turbulento rerum præsentium statu, quod ex felicissimo passionum euentu conspiciendum.

§. XIII. Licet vero optimus Seruator persuasissimus esset, non fore, quin preces, quas fuderat, a Patre suo certius certo audirentur: nihilo tamen minus in diuina voluntate, eius-

eiusque liberrima rerum suarum dispositione, vnice tranquillus requiescit, suæ voluntati, quod humanam naturam spectat, quæ tunc temporis actuali cognitione totius decreti diuini, de singulis mutationibus suis omnique rerum nexu, carebat, quasi rennuncians, in verbis: VERVNTAMEN NON MEA VOLVNTAS, SED TVA FIAT. Per voluntatem Dei hoc quidem loco intelligitur eius *voluntas decretoria* saluandi homines per CHRISTVM; qui etiam crudelissimum pro iis mortis genus sponte subiit, atque ea ratione diuinæ fati fecit voluntati, homines cum Deo reconcilians. Hinc est, quod dicatur *obediens factus vsque ad mortem, mortem autem crucis* Phil. II, 8. Quæ obedientia Christi ex eo tanto magis adparet, quanto submissius passionum suarum dispositionem liberam sapientissimæ Patris directioni relinquit, eas vel citius finiendi, vel continuandi vterius. (coll. §. præc.) Id quod ideo opus esse videbatur, partim, vt obedientia eius, quam præstitit Deo, ex omni parte esset perfecta; partim vero, vt discipulis, quos duxerat secum, atque Iudæis testimonium exhiberet suæ in patiendo fortitudinis luculentissimum. Et in hoc insistendum nobis erit vestigiis Christi, qui præclarissimo suomet exemplo demonstrauit, quod licet natura nostra reluctetur, DEO tamen magis obtemperandum sit, quam nostræ voluntati; præcipue, si tentationibus nos exponat Deus, atque in statum animæ vitæque nostræ turbulentissimum ducat.

§. XIV. Hæc vero requiescentia in DEI voluntate exercenda potissimum erit, imminente hora mortis, iuxta Christi veterumque Christianorum exemplar. Horum enim sicuti tota vita pellucidum sanctimonix speculum: ita mors imminens fuit veluti theatrum, in quo morituri maximarum virtutum specimina ediderunt; inter quæ omnium primo eminet SO-

VIDA IN VNIVS DEI VOLVNTATEM RESIGNATIO, quam si auream cœli terræque catenam & sapientie omnis radicem dixeris, a vero haut aberraveris. Didicerant hanc veteres voluntatum concordiam, in morte cum primis sancte tenendam, ab ipso Seruatore I. C. qui in extremis animæ passionibus constitutus ad patrem dixerat: **NON MEA, SED TVA VOLVNTAS FIAT.** Hinc *Epictetus* Presbyter & *Asio*, viri in Oriente & morum & religionis puritate, temporibus Diocletiani, valde conspicui, ob confessionem fidei Christi, in carcerem deiecti misereque excruciiati, licet etiã ora saxi contunderentur, ad extremum vsque halitum clamare non destiterunt: *Christiani sumus! Fiat voluntas Dei de nobis.* Et cum iam essent securi ferendi, exclamarunt: *Benedictus sit Dominus Deus Patrum nostrorum laudabilis & superexaltatus, quoniam non humana, sed DIVINA EIVS VOLVNTAS PER OMNIA IN NOBIS FACTA EST,* vti pluribus refert ex *Rosmeydo* de vitis P. P. *HILDEBRANDVS* in libell. de S. S. Patrum vet. *Eccl. Arte bene moriendi*, p. m. 174. seq. Similiter S. *POLYCARPVVS*, episcopus Smyrnenſis, martyrum fere celeberrimus, cum amicorum suasu, ob insidias sibi structas, de villa in villam fugeret, nullibi tamen tuto agens, latere tandem amplius noluit, sed vltro se abducendum emissariis obtulit, dicens: το θελημα τε κυρια γενητω, **FIAT VOLVNTAS DOMINI!** Hæc scilicet vltimum Viri Sancti erat asyllum, narrante *EVSEBIO* *Hist. Eccl. Lib. IV. c. XV. Conf. Lud. RA. BVS* in *Martyrologio suo Tom. I. p. m. CLXXXIV. seqq.* Faxit clementissimum **NVMEN**, vt Christi & Confessorum hæc in re vestigia sequamur: tunc profecto meminisse ipsorum nunquam nos pœnitebit.

F I N I S.

RESPON.

RESPONDENTI

S. P. D.

PRAESES.

EX laudabili diligentia *TVA*, cuius iam praeclarum specimen edis, laetisque studiorum progressibus adhuc factis voluptatem capio singularem, quam bis litteris significandam esse putavi, ut simul et *TIBI* de faustis laborum primitiis, et Parenti *TVO* admodum reuerendo de eximia spei filio publice gratularer. Disputationem, quam proprio Marte elaborasti, obseruationum mearum accessionibus amplificare nolui, ut *TIBI* maneres propria. Ne tamen omnino sine symbolo discedam, habeto, quae mihi eandem perlegenti in mentem venerunt, nonnulla. Ad compellationem *πατερ* ut visus mihi est sanctissimus Seruator et aliquem characterem Messiae *Pf. LXXXVIII*, 27. praedictum, et *typum* Isaaci *Gen. XXII*, 7. implere, & in medijs doloribus a *DEO* immixtis, unimum veneratione et fiducia plenum atque ab omni indignatione alienissimum contestari, et ipse denique *DEO* rationes mouentes audiendarum precum proponere voluisse, imitatus *Iobum c. X*, 8-13. Mentione *πατρως* forte respexit Christus ad magistrum conuiuii, quem *Varro* Modimperatorem vocauit, *Siracides cap. XXXV*, 1. *ηγεμενον*, qui bibendi leges & singulorum mensuram moderabatur, qualem hic in determinanda calamitatum suarum portione *DEVM* esse

esse fateatur. Si quis coniecturis locus vacaret, cum hoc ποτηριω contenderetur rectius aquarum amararum poculum Num. V. commemoratum, divi omnibus et imprecationibus refertum, quam mortis poculum cicuta aut alio veneno plenum, quod supplicium Iudaeis non innovuit. Dummodo ποτηριον τετο ad vehementiam formidinis comm. 37. expositam referatur, quae iniustata caedii, tristitiae & metus conscientia hos ipsi gemitus expressit ad auerruncandum horrorem, vox παρηλθετω nullis difficultatibus laborat. Incredibilem hunc terrorem, quo sanctissimus Iesus perborruerat, ad dolores et ad afflictiones in consilio diuino sibi decretas pertinere, qua tunc erat imperfectione in exinanitione constitutus, ignorabat, arbitratu, hunc sibi metum ad cruciatus reliquos fortiter ferendos impedimento futurum. Quam ob causam dubitanter ita orat, ut exemplum praebeat conformandi preces omnes ad voluntatem Dei. i. Iob. V. 14. Et hunc calicem ποτηριον λυταις και αδημονιας cito DEVS abstulit, animum corroborando iterum. Illustrari haec animi ipsius mutatio egregie potest ex Ps. XVIII. Conditio addita ei δυνατων non in Luca solum cap. XXII. 41. explicatur per ei βουλει, verum et in textu per alteram phrasin epexegeticam πλην ουκ ωσ εγω θελω αλλ ωσ ου. Qua ratione Christus verebatur, ut, non quidem per potentia diuinae limites, sed per sapientissimam decreti diuini consuetudinem liberari posset. At vero manum de tabula. Epistolam scribo, non dissertationem. Quod reliquum est, DEVM O. M. supplex veneror, ut donis in TE collatis incrementa addat cum perpetuitate, TE sibi totum vindicet, atque in litteras & ciuitatem suam multum ex TE utilitatis redundare iubeat.

Dedi cal. Sept. M DCC XXXV.



00 A 6398

ULB Halle 3
002 916 606



Sb.





EXERCITATIO
THEOLOGICO - EXEGETICA
DE

PRECAZIONE CHRISTI

PRO AVERTENDO CALICE

Ad Matth. XXVI. v. 39.

QVAM

PRAESIDE

VIRO MAXVME REVERENDO, AMPLISSIMO, DOCTISSIMO
SIGISMVNDI IAC. BAVMGARTEN,
S. S. THEOL. PROF. P. ORDIN.

PATRONO, PRAECEPTORE AC HOSPITE
FILIALI OBSERVANTIA AETATEM COLENDO,
IN ACADEMIA FRIDERICIANA
EX MANDATO REGIO

AD D. XVII. SEPTEMBR. A. O. R. CIO MDCC XXXV.
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI EXPONET

A V C T O R
CHRISTIANVS HENRICVS NEHRING,
MORLENSIS MAGDEBVRGICVS
S. S. TH. CVLTOR.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
TYPIS IO. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR. 1744.



Farbkarte #13